

minimis a contactu distantis attractionem esse ad vim gravitatis ut 1000000000000000000000 ad unitatem; quæ quidem tanta virium differentia eidem attractionis legi tribuenda non est. . . . 2 Quoniam hæc vis attractiva in contactu duntaxat vel prope contactum exercetur, evidens est corporis attractantis massam ad majorem attractionem nihil conferre, sed contactus magnitudini attractio illa proportionalis est. Quia tamen minimæ particulæ non longe a contactu, neque extra ipsos attractionis limites sunt positæ, attractionem auget minimarum particularum densitas. Hinc si marmora duo jungantur, & oleo vel pice aut etiam aqua perfundantur, validius inter se coherent, ob auctam contactus magnitudinem. Augetur cohesio si calefiant liquores quibus superficies imbuuntur: hoc enim artificio poros altius penetrant liquorum particulæ, minima interstitia facilius subeunt, augetur minimarum partium densitas, ideoque & attractio. En alterum utriusque attractionis discrimen; prima enim attractio quantitati materiæ proportionalis est, non autem contactus quantitati. Itaque in minimis particulis attractio est ut densitas particularum & superficies simul, cæteris paribus; quia vero superficies sunt ut quadrata diametrorum, soliditates autem ut earundem diametrorum cubi, evidens est minimas particulas, quæ ratione soliditatis majorem habent superficiem, fortius coherere; contra corpuscula quorum minor est contactus, quales sunt minimi globuli eximie perpoliri, facilius a se invicem distrahuntur; atque hinc fluiditatis rationem